



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Mira duo exempla filiorum vtraque morte punitorum, ob peccata in
parentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Prou. 20.
Prou. 30.

trem, ignominiosus est, & infelix. Ut quid enim terram occupat? Ac rursus: Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius, in medijs tenebris. Iterumque: Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris sua, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquila. Sed adhuc grauius quid dicitur,

Leuit. 20.

in Leuitico: Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur; patri matrique, qui maledixerit, sanguis eius sit super eum. Omnium grauissimum est: Extinguetur lucerna eius in medijs tenebris; significat enim hæc sententia mortem in peccatis mortalibus atque extra gratiam. Etsi enim aliqui exponant: Extinguetur lumen vita eius, in hoc Mundo, hinc enim in Mundo sumus, quasi in tenebris, quia & Christus dicitur illuminare his, qui in tenebris sedent, & in umbra mortis; tamen per tenebras frequentissimè intelliguntur peccata, quæ cæcitatem inducunt, quæque æternam illam maledictionem merentur. Vnde & in Deuteronomio legimus:

Deuter. 27.

Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem, & dicit omnis populus: Amen.

XII.

S. Bernardin.
Tom. 2. Do-
min. 3. qua-
dragef. serm.
37. & Guil.
Baldesan l. 3.
ffim. adolefc.
cap. 16.

De vtraque morte sunt exempla. Temporalem vitam esse talibus diminutam, luculentè ostendit D. Bernardinus hac historia. Nostra, inquit, atate in Hispania citerioris oppido Catalunnie, cui nomen Sui, non ita procul Valentia, adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam, eò deuenerat, ut anno octauo decimo propter latrocinia & publica facinora, in vincula coniectus, & suspendio damnatus sit. Erat etiam tum prorsus imberbus, pendentem verò iam atque exanimi subito prorumpit barba, spectante populo. Coma capitis planè senescunt, ut atatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrunt Episcopus. Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat DEVS, quid sibi monstrum hoc velit. Atque ecce tibi Episcopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait: Voluisse DEVM ostendere, quantum de vitæ eis detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt: victurum etiam hunc iuuenem fuisse ad eam atatem, qua iam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset. Audite hæc pueri puellaque; cerebrosa & inobedientes, quæ parentes vestros toties ad iracundiam prouocatis; cum illis litigare, rixari, conuitia miscere audentes; illis non verentes contradicere, detrahere de bona existima-

existimatione, quin & sæpe verbera minari. Quamuis enim sæpe parentes in causa sint, vt ob amorem nimium, aut nimiam indulgentiam & impunitatem tales filios nanciscantur, non patitur tamen DEVS eiusmodi filios inultos. Neque hæc tantum vitâ priuat, sed etiam sæpe æternâ. *Alium quempiam*, ait Thomas Cantipratanus, *in partibus Gallie, sub Philippo rege, nostris temporibus fuisse cognouimus. Hic ab ineunte ætate peruicacissima vita fuit: Vt illud, quod de Ismaële scriptum est: Manus eius, contra omnes, & manus omnium contra eum, in eo ita videretur impletum, vt ne parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vitam finem perduceret. Post quos & ipse miserabiliter infirmatus, & in agone mortis positus sumptis Ecclesiasticis Sacramentis, subito, inter manus assistentium clamans horribiliter exiliuit dicens: Surgite omnes, arma accipite, iuuate me contra proprium patrem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus est. & me conatur occidere. Et hoc dicens, quasi contra ingredientem multitudinem, ad ostium conabatur. Nec mora, cadens, euerfis terribiliter oculis, clamauit expirans: Heu me! pater meus modò validissimo lapide frontem meam percutiens contriuit. Hi autem, qui assistebant, neminem quidem videbant, sed quasi turbas se comprimentium, & ingredientium audiebant. Vide ergo, qui nec patrem proprium propitium habere potuit, quantis diuina vindicta animaduersionibus dignus fuit. Non tamen absolutè eum, qui apparuit, illius patrem dixerim; sed quemcumque fortè ex spiritibus siue bonis, siue malis, cùm dictum sit: Ar-*

Thom. Cantipratan li. 2.
Apum. c. 14.
§. 7.
Gen. 16.

Sapi 5.
XIII.
Virgili 10.
Æncid.
Iob. 14. 5.
Psal. 38. 5.

Isa 38. 12.
Ecclesi. 7. 18.

mabit creaturam ad ultionem inimicorum, contra insensatos. Itaque impij non dimidiabunt dies suos, quia neque ad dimidium peruenient suorum dierum. Quamuis enim *sic sua cuique dies, & constituti sint termini vite, qui præteriri non possunt, ac numerus dierum præfixus sit, in præscientia prouidentiaque DEI, ab æterno aspicientis, qua eum & die, & hõra de Mundo auulsurus sit ita merentem; juxta naturæ tamen mensuram, sæpe, quæ protelanda erat, vita tela vel à carnifice vel à casu sinistro præciditur. Apertè id docet Scriptura. Ne, inquit, impiè agas multum (perseuerando scilicet, aut plura patrando, atrocioraque) & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo; à natura alioqui tibi dando, aut etiam à gratia peculiari, ultra naturæ pensum, & Parcæ*

fusum